

creator sum, Lucæ V. ita nunc attonitus fit ob exinanitam et ad suos pedes abjectam Dei majestatem. Quemadmodum enim qui de altissima cupe in profundissimam abyssum et præcipitum despicit, mox præ horrore resilit et vertigine involvitur: ita Petrus considerans magistri celsitudinem, suamque ex altera parte humilitatem, horrore correptus retraxit pedes a lavacro, et in ea verba prorupit: *Tu lavas mihi pedes?* Secundo, ob reverentiam et amorem erga Dominum. Voluit enim dicere minime decere ut tanta majestas ad tam sordidum vernarum ministerium se demitteret, nec se cernere aut pati posse, ut tam dilectus sibi magister tam vili obsequio se manciparet. Eadem reverentia permoti Joannes Baptista, et centurio: ille quidem renuens baptizare Dominum: *Tu venis ad me?* inquit, *ego a te habeo baptizari:* iste vero domum ei ocludens: *Domine, non sum dignus,* ait, *ut intres sub tectum meum.* Et sane « Quis non horresceret prostratum coram se videns Dominum? Quis pedes proferre auderet, provolutum coram se cernens seraphinorum summum Regem? » inquit Laurentius Justinianus, de triumphali Christi agone, cap. III.

XI. Cur Dominus tam severe comminatur Petro: *Nisi laveris te, non habebis partem mecum?* Respondetur, primo, quia memorabile humilitatis exemplum Christus mundo relinquere voluit; secundo, quia maximum doceret mysterium cum primis necessarium, scilicet quod in sanguine ejus omnes abluendi, et quod accessuri ad s. synaxin prius per lavacrum penitentiae mundandi sint. Quæ licet Petro non explicuerit (quia forte his rationibus non acquievisset) de-

buit tamen Domino et magistro suo utpote sapientissimo et qui nihil sine magna prudentia egit, acquiescere post comminationem, et quidem sub mortifero peccato: non habiturus cum Christo partem, id est, societatem in ejus collegio, vel communionem in sancta mensa, vel denique hæreditatem in regno cælorum. Triplici igitur hac comminatione, quasi trifido Jovis fulmine territus Petrus illico cedit, et non pedes tantum, sed et manus et caput offert, et quantum prius fugit, tantum nunc accurrit.

XII. Quomodo qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet? Resp. varie hoc exponi posse. Primo, et si vos loti estis a peccatis per gratiam, oportet tamen pro recepta consuetudine lavare nihilominus pedes antequam accumbatis ad secundam mensam, tametsi forte pedes vestri non indigent lotionem. Secundo, tametsi loti et mundati estis a gravioribus peccatis, forsitan tamen adhærent vobis culpæ veniales, quemadmodum egredientium e balneo pedes facile rursus sordes contrahunt, saltem leviores. « Lotus est (inquit S. Bern. ser. de cœna Domini) qui gravia peccata non habet, cujus caput, id est, intentio, et manus, id est, operatio, munda est. Sed pedes, qui sunt animæ affectiones, dum in hoc pulvere gradimur, ex toto esse mundi non possunt. » Tertio, qui lotus est per baptismum, non potest eum reiterare, debet ergo lavari per penitentiam, ut exponit Cyprianus, tractat. de lotionem pedum. Quarto, loti estis vos, sed non omnes pedes enim vestri: Judas scilicet, qui levabit contra me calcaneum, minime lotus est. Unde subdit: *Et vos mundi estis, sed non omnes.*

AUCTARIUM.

CONCIO I.

CUR LAVERIT CHRISTUS PEDES DISCIPULORUM.

I. Propter Judam, ut obstinatum emolliret. — II. Propter alios discipulos. — III. Propter nos. — IV. Propter se.

THEMA.

Scitis quia fecerim vobis? Joan. XIII.

Mirum quidem spectaculum vidit Roma, quando celeberrimum et sanctissimum, ac vere magnum papam Gregorium, in medio foro, cons-

pecto Joanne abbate Persa notæ sanctitatis viro ad se honorandum accurrente, vidit prævenire, et ad genua ejus accidere, nec prius surgere velle, quam a Joanne elevaretur, ut testatur ipse coram Deo, in prato spirit. cap. CLI. Verum longe mirabilis et centies millies majus vidit Jerosolyma, quando Regem cœli et terræ procumbentem vidit hodie ad pedes discipulorum suorum, eos denudantem, lavantem, abstergentem. Hoc enim viso Petrus quasi extra se raptus stupuit, tantam demissionem capere non valens, id quod jure etiam merito nos omnes miramur

et suspicimus usque in hodiernum diem. Quia ergo tam stupendum humanitatis exemplum non sine magnis causis a Dei sapientia exhibitum nobis est, eas investigemus. Hoc igitur edidit.

I. Propter Judam, ut hoc amoris philtro et artificio eum avocaret a concepto scelere ad resipiscentiam et reciprocum amorem. Hoc indicat in primis Christus ipsa lotionem pedum, cujus rationem reddens, ait Petro: *Et vos mundi estis, sed non omnes,* q. d. Juda excepto, propter quem vos quoque lavo; deinde Joannes cum facit mentionem proditoris ante lotionis descriptionem, quasi propter ipsum potissimum facta sit dicens: *Cum diabolus misisset in cor, ut traderet eum Judas, etc.* q. d. voluit ejus odium hoc amoris lavacro extinguere, adeoque pedes ejus apprehendere et quasi demulcere, ne currerent ad conceptum scelus. Mirum de Lycurgo Lacedæmonio, ethnico homine, scribit Plutarchus in Lycurgo, qui in seditione retrospecti, fuste ab Alexandro juvene exoculatus fuit. Juvenis malitiosus ei ad supplicium datus, adeo non est male acceptus, ut etiam pulcherrimis disciplinis imbutus et humanissime habitus sit, indeque proverbium natum: *Vindicta Lycurgi.* Simili modo Christus, *sciens quia omnia dedit ei in manus,* ait Joannes, adeoque etiam Judam, quem noverat futurum proditorem suum, ut cum eo ageret, quod vellet; ecce quid fecit Dominus. Ad cœnam corporis sui adhibuit, pedes ejus prostratus nudavit, lavit, abstersit, ut vel hoc amoris obsequio eum sibi devinceret. Sed quæ duritia Judæ, quæ tanto cuneo frangi non potuit? Ecce tibi ficem illam sterilem per triennium (Luc. XIII.) quo in disciplinam Christi fuit tamdiu toleratam in Domini vinea, et nunc vineæ cultorem circa eum fodientem, dum eis variis modis et tropis insinuat et circumscribit scelus, quod in animo gerebat, modo dicens: *Manus tradentis me, mecum est, vae autem homini illi.* Modo: *Tu dixisti.* Rursum: *Quod facis, fac citius.* Vide denique adhibentem stercora correctionis in Oliveto. *O Juda! osculo Filium hominis tradis?* stercora amoris in lotionem et sancta communionem. Sed quia hæc omnia respuit, quid mirum si ficem se suspendit? Quæ proinde velut testis justitiæ divinæ, multis postea sæculis ad exemplum aliorum stetit, ut Juvencus presb. hist. evang. l. IV. et Beda, dict. loc. sanct. c. IV. tradunt.

Quam ergo metuenda est obstinatio in malo! Ut enim maris amarities tot dulcibus fluminibus in id continuo influentibus non emendatur: ita obstinatus in malo animus Judæ tot dulcibus amoris obsequiis non est correctus. In lacum

asphaltiten, seu mare mortuum ingentem vim dulcis aquæ continuo infert Jordanis, et tamen inde nequaquam dulcius evadit, sed potius dulces aquas vertit in amaras, terreas et fœtentes; ut Num. XXXIV. appellatur *mare salissimum.* Et tertio *mare diaboli,* ob infanda scelera ibi patrata, ut testatur Abulen. Tanta malum fuit cor Judæ: dulcissimi Jordanis Christi aquas absorbit, nec tamen inde melior factus est; quod et aliis obstinatis plerumque contingit. O malum metuendum!

II. Propter discipulos, primo, ut hoc monumentum humilitatis velut fundamentalis virtutis eis relinqueret, apprime eis necessarium, tamquam futuris aliquando rectoribus animarum. Hanc causam indicat Joannes aperte illis verbis: *Sciens Jesus quia venit hora, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem.* q. d. memoriale amoris sui relinquere suis voluit. Et Christus: *Exemplum dedi vobis.* Viderat enim eos sæpius de honore contendere, ut et jam in illa ipsa cœna; quam proinde contentionem exemplo suæ humilitatis compescuit. *Nam quis major,* inquit, *qui recumbit an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat,* Luc. XXII. Nunc in modum Carolus V. imp. postremosuo ex Germania discessu Vlissingæ cum Seldio Ferdinandi fratris legato ad multam noctem conversatus, cum famuli somno sepulti non venirent, ipse candelam Seldio per gradus plurimum renitenti prætulit ad ejus cubiculum, dicens: « Hoc tibi monumentum Cæsaris illius Caroli habeto, Seldi, tot exercitibus et satellitibus olim stipati; quem nunc solum et a familia etiam desertum vides; et cui tu tot annis servisti, ille tibi servit et lumen prætulit. » Cythr. orat. de Carolo V. Ita prorsus Christus servis suis servire voluit, sed majori longe abjectione; unaque ipsis et aliis orbis rectoribus lumen præferre, quo inter summos honores memores sint humilitatis. Quod exemplum postea secuti sunt tot imp. et reges, pontifices et episcopi. Idem suadet nobilibus S. Augustinus, ser. I. in cœna Domini, nec admittit eorum excusationem, quod habeant delicatas manus et natalium prærogativam. *Mala nobilitas,* ait, *quæ se per superbiam reddit apud Deum ignobilem.*

Secundo, ut eos diserneret ad ferendum sine offensione crucis suæ scandalum: ne mirarentur quod vulerit se humiliare usque ad mortem crucis, qui prius se humiliavit usque ad lotionem pedum eorum. Revera enim ipsi cœlo res obstupescenda est, Dei Filium pro aliena culpa eoque se demittere et subire crucem voluisse. Ac ne quis existimaret, quod illam demissionem

coactus in se suscepisset, voluit prius hanc spontaneam abjectionem admirandam etiam, illi alteri præmittere. Non potuit capere olim Petrus, Christum subire velle crucem, *Absit a te, Domine: non erit tibi hoc*, ait. Itaque eum jam disponit ad hoc credendum Dominus per lotionem pedum quam vix servulus e mediastinis aliquis faceret. Quamquam si et hanc demissionem non potuit capere Petrus exclamans: *Domine, tu mihi lavas pedes? Quid mirum si nec illam longe majorem?*

III. Propter nos primo, ut indicaret nos omnes ejus sanguine abluendos esse, sicut testatur Joannes, Apoc. I. *Dilexit nos et lavit nos in sanguine suo*, conformiter cum eo, quod idem in hoc evang. scribit: *Cum dilexisset suos, etc.* Idque indicat Dominus cum ait Petro: *Nisi laveris te, non habebis partem mecum*, quod utique de lotionem sanguinis præcipue dixit. In hac ergo posuit vestimenta sua et linteo se præcinxit, cum abscondens gloriam deitatis suæ, induit formam servi, factusque homo in mundo venit. Misit aquam in pelvim, cum sanguinem suum effudit in sacramenta. Lavit, cum eum Patri obtulit pro nobis; lavatque hodie applicando sacramenta. Extersit linteo, dum peccatorum nostrorum sordes et reatus in suam nitidissimam humanitatem transtulit, indeque adeo deformatus fuit, ut vix agnosceretur, sed pro leproso haberetur, ut prædixit Isa. c. LIII. *Vere languores nostros ipse tulit, etc. putavimus ipsum leprosum et percussum a Deo.* Hinc tum crebræ olim lotiones Judæis et aspersiones factæ sanguine victimarum; ut nossent se per sanguinem Christi demum a peccatis mundandos.

Secundo, ut doceret nos præviam dispositionem ad s. eucharistiam suscipiendam; alioquin non habituros in ea partem seu fructum. Hoc indicat, cum ait Petro: *Quod facio, tu nescis modo, scies autem postea*, quando scilicet porrigam vobis corpus meum. Unde mox ipsorum conscientias convenit: *Unus vestrum me traditurus est.*

Quare et tu, Christiane, surge in primis a mensa in qua sedet tecum Judas et diabolus. Deinde pone vestimenta et præcingere linteo per contritionem, detestando peccata admissa, et constringendo te firmo emendationis proposito. Mitte etiam lacrymas in pelvim cordis tui, lava pedes in confessione, non retrahere nec absconde. Exterge linteo satisfactionis. Hac lotionem prævia, nisi abluerimus fetorem peccatorum nostrorum, in odium et iram sponsi nostri certissime incidemus. Ciconia quædam femella cum in quodam Savariæ pago, Dengen appellato, sæpe adulterium commisisset, et postea mox in lacuna vicina sese abluisset, ne fetorem mas olfaceret; semel eam

rusticus prohibuit a lotionem, ubi id advertit. Itaque mas, ex odore utique deprehensam aliquantisper, deseruit, ipsique soli proles alendas reliquit; post, cum migrandum esset, adduxit alias ciconias, quæ adulteram dilacerarunt, Mich. Neander, in sua physica ex Aventino. Olfecit sane Judam adulterum Christus, ideo pro eo lotionem instituit, quem si manifestasset discipulis, in frustra forsitan discernissent, uti putat S. Chrysostomus.

IV. Propter se. Quia enim paulo post ad dexteram Patris et summum cœlifestigium ascensurus erat, ideo prius ad imum terræ et pedes servorum suorum se abjicere voluit. Hanc causam indicat Joannes iis verbis: *Sciens quia a Deo exivit, et ad Deum vadit.* Hanc igitur esse viam ad cœlum docet, scilicet humilitatem, et quo altius vis in cœlo ascendere, eo magis te hic deprimere debes: sicut qui præaltum edere saltum vult, prius profunde se demittit: et pila quo fortius terræ fuerit allisa, eo altius subsiliet. S. Bernardus, serm. XLV. in Cant. Christi sponsi humilitatem laudari existimat, dum ejus oculi columbarum oculis comparantur: *Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum.* Bibentes enim columbæ prius caput et oculos in flumen demergunt, postea attollunt, cœlum intiendo, et simul aquam sorbent. Sic Christus hac in lotionem ad aquam lavacri sordidi sese inclinavit, moxque ad crucis torrentem demisit: postea exaltavit caput usque ad summum cœli verticem, juxta id Ps. CIX, ad litteram de eo scripti: *De torrente in via bibit, propterea exaltabit caput.* Quare qui optat sibi pennas sicut columbæ, ut volet et requiescat, juxta Davidicum illud: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo et requiescam*, prius cum ea et Christo bibat de torrente, per sui contemptum et abjectionem.

Errant igitur quicumque aliam viam præter humilitatem ad gloriam et exaltationem quærunt. Si enim Christus ipse per hanc viam intravit in gloriam suam; quo jure nos quærimus aliam, ut intremus in gloriam alienam? Sane Rudolphus, Habsburgensis comes per humilitatem suam videtur ascendisse ad imperialem dignitatem. In castris enim antequam rex fieret, vestes consuebat, ut milites ipsum æmularentur, dicebat enim *Non esse indignum artificis assumere provinciam, ubi artifex deesset*; idemque vili habitu et grisea tunica uti solebat, propterea a quibusdam spretus: denique s. eucharistiam ad ægrum delatam pedes secutus est, dato equo sacerdoti. Quare astrologus Cæsaris cum eum præ cæteris maxime veneraretur, rogatus a Cæsare, cur pauperem illum comitem adeo honoraret, respondit quod is, qui nunc humilis plerisque apparet,

post ipsum Cæsar esset futurus, Cuspin. in Rudolpho. Quisquis ergo in cœlo exaltari vult, hanc ineat necesse est. Quam qui tenuerit, ei non vane vaticinabor et ego, fore eum sublimem in cœlo, qui in terra studuerit esse humilis.

Visis igitur his tantæ demissionis causis, agamus Christo gratias, qui eo exemplo docuit nos tractare inimicos nostros, humilitate prævenire amicos, ostendit nobis amorem suum, docuit viam cœli per humilitatem: quam si secuti fuerimus, spes est cum ipso nos quoque ascensos ad ipsius regnum.

CONCIO II.

QUA RATIONE ALTER ALTERI LAVARE PEDES POSSIT AC DEBEAT.

I. Cum alter alterum corrigit errantem. — II. Cum alter alterum instruit ignorantem. — III. Cum alter alteri remittit injurias. — IV. Cum alter alterius lapsum excusat. — V. Cum alter alterum consolatur in merore. — VI. Cum alter alterum quomodocumque juvat. — VII. Cum alter pro altero orat.

THEMA.

Et vos debetis alter alterius lavare pedes. Joan. XIII.

Dubitare aliquis posset, utrum hæc Christi verba contineant præceptum, ut alter alteri lavet pedes; siquidem id videntur sibi velle. Quapropter in antiqua Ecclesia mos ille pius viguit, teste Augustino. tr. LVIII. *Est apud plerosque consuetudo, inquit, hujus humilitatis.* Servatur adhuc eadem in monasteriis et Ecclesiis Collegiatis, ubi saltem hodie lavant prælati pedes suis subditis: quemadmodum et pontifex Romæ duodecim pauperibus, quasi totidem Christi discipulis; quin et reges aliquot ac principes, uti olim S. Ludovicus Franciæ rex, S. Elisabetha Hassiæ landgravia, S. Hedwigis ducissa Poloniæ, S. Birgitta, aliique plures. Verum Ecclesia, optima magistra, nullum in his verbis agnoscit præceptum, si ad litteram intelligantur, sed consilium tantum: adeoque insinuat nobis saltem animi præparatio, ut cum charitas id requirit, hoc et similia humilitatis opera minime detrectemus: deinde suadet nobis velut opus pium et laudabile, decens in primis eos, qui in dignitatibus constituti sunt. Cæterum Christus Dominus, qui in suis monitis ad spiritum magis respicere, quam ad externa opera consuevit, (cujus etiam verba *spiritus et vita sunt*, Joan. VI.) videtur in his verbis commendare nobis multo impensius lotionem

II. PARS HIEMALIS.

pedum spiritualem, quam corporalem, velut magis necessariam, et utilem, uti indicat Theophylactus, qui verba illa: *Vos debetis alter alterius lavare pedes*, sic explicat. *Hoc necessarium est, ut omni ministerio vobis invicem serviat. Id enim vult per lotionem pedum, quæ est ministeriorum infima, ut et alia longe honestiora non detrectemus, etc.* Eodem modo Cajetanus et Jansenius: *Synecdoche, inquit, est, ut ex eo, quod servilissimum videtur et abjectissimum omnia officia intelligantur.* Quare ss. pp. et dd. variis modis id fieri juxta mentem Christi, adeoque ipsi satisfieri abunde posse indicant; quos hic exponemus.

I. Cum alter alterum errantem corrigit, monet, dehortatur aut paterne punit; hoc enim faciendos sordes animi a pedibus, h. e. pravis animi affectibus abluit et abstergit, adeoque e sordido mundum facit, quando ab errore ad viam veritatis reducit: quomodo et nos Germani, quando aliquem objurgare volumus, dicere solemus: *Lavabo illum.* Hac ratione Isaias lavit Hebræos in peccatorum fæcibus usque ad aures infixos, acri reprehensione, c. I. tonans: *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis; dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. Super quo percutiam vos ultra, addentes prævaricationem? Omne caput languidum, et omne cor mærens: a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Et paulo post: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum.* Sic lavit Davidem sordibus adulterii fæde aspersum Nathan propheta, II. Reg. XII. quando post recensita Dei beneficia ipsi collata ait: *Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo? Uriam Hethæum percussisti gladio, et uxorem illius accepisti in uxorem tibi, et interfecisti eum gladio filiorum Ammon. Quamobrem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum, etc.* Fuit hoc lavacrum Davidi adeo salutare, ut mox abstergerit ei totum luctum peccatorum. Agnovit enim errorem David, et confessus est; moxque Nathan subdit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris.* Verum quia hac lotionem ipsi abstersa fuit, ideo in Psal. L. petiit a Domino: *Amplius lava me ab iniquitate mea*; scilicet a pœnis etiam temporalibus, et post: *Lavabis me, et super nivem dealabor.* Sic lavit Abigail maritum suum Nabal, postquam ipse edormisset crapulam, utique increpando ejus duritiam, ingratitude, ebrietatem; ita ut attonitus sensum pene omnem amiserit, I. Reg. XXV. Sic Maximum imp. lavit Sanctus Martinus, volens mensam ejus adire, quos duos imperatores unum vita, alterum re-

no spoliasset. Ut in vita. Sancta et salutaris est hæc ablutio, quam commendat nobis Ecclesiasticus, cap. IV. dicens: *Ne reverearis proximum in casu suo, hoc est, non timeas corripere eum, cum in errorem labitur, aut lapsus est. Quis non porrigit manum proximo, cum videt eum in puteum labi? Vel quis lapso non fert auxilium, ut extrahat eum? Asino hoc præstamus; et non præstamus homini? At hoc agit, qui errantem corrigit, licet corrigendo eum affligat, pungat et contristet: a gehenna enim eripit. Atque in hunc sensum explicat divus Cyprianus, in tractatu de ablutione pedum monitum illud Christi: « Quotiescumque, inquit, iis, qui Pharaoni in luto et latere famulati sunt, persuademus, ut exeant de Ægypto, etc. toties inhærens lutum peccatorum, qua possumus sollicitudine, lavamus; non quod nostra ablutio ex nobis sufficiat, nisi ad lavandum omni tempore nos pius magister accedat. »*

II. Cum alter alterum rudem et ignorantem instruit: in rebus præsertim ad salutem pertinentibus. Quemadmodum enim peccata sunt sordes adhærentes voluntati, ita ignorantia lutum est adhærens intellectui. Quisquis ergo rudes in fide et pietate informat, pedes eorum abluat, dum ignorantie tenebras abstergit; quod insigne beneficium est, non illi tantum qui eruditur, sed aliis etiam, quibus alioquin obesse rudis et dux perditionis fieri posset. Præsentissimo in salutis discrimine fuit Maximilianus I. imp. cum tota aula sua, dum armarium eujusdam arcis Tyrolensis lustraret; tunc enim stultus quidam ipsius, quem in deliciis habuit, ab aulicis per jocum instigatus ut prospiceret tormentis suis; siquidem illa Maximilianus cuncta avecturus esset; candelam laternæ impositam sub veste clam cunctis infert, eamque in cadum pyrro pulvere plenum jamjam immissurus erat, cum splendore conspecto Maximilianus vix eam violenter stulti excussit manibus. Quod ni factum foret, stultus una secum Cæsarem, ejusque comitatum cum arce perdidisset. Ita scribit ipse Maximilianus in suo poemate. Ruditas et ignorantia ejusmodi fax in manu stulti; præsertim in regimine constituti, qua et se et alios perdit. Quare qui hanc illi excutit, profecto a maximo gehennæ periculo sæpe et ipsum et alios liberat. Laborabat aliqua igncrantia in gubernando populo ipse Moyses Hebræorum dux, dum omnia negotio suo unius dorso gerendo imponebat; quam proinde edocuit socer ejus Jethro, licet gentilis sacerdos, dicens ei: *Non bonam rem facis, stulte, labore consumeris et populus iste, qui tecum est: ultra vires tuas est negotium, solus illud non poteris sustinere.* Suasitque ut iudices sibi

adseisceret, quibus judicialia et minora munia committeret, ipse majora obiret: salubri prorsus consilio quod et Moyses amplexus est, Exod. XVIII. Sæpe igitur et a rudibus, necnon ab iis, qui putantur mali, bona consilia dantur, quod etiam homicida quidam præstitit cuidam monacho, in prato spirit. c. XI. « Cum enim reus ille duceretur extra civitatem sex millibus passuum (ille enim etiam perpetrarat homicidium) monachus quidam retro sequebatur, ut illum de collari conspiceret; qui autem ad decollandum ducebatur, cum vidisset monachum sequentem, ait illi: Numquid abba, non habes cellulam et opusmanuum? Respondit monachus: Parce mihi frater, et cellulam enim et opus habeo. Qui respondens ait illi: Quare ergo non resides in cella, et desles peccata? Dixit ei monachus: Vere frater mi, valde meipsum negligo, compunctionemque anima mea non habet, et idcirco venio ut aspiciam te, dum morieris utvel sic in compunctionem veniam. Tunc ait illi reus: Vade frater, per Dominum, sede in cella tua et gratias age Salvatori nostro Jesu Christo. Ex quo enim ille homo factus est, et pro nobis peccatoribus mortuus est, homo non jam moritur. Egrege et salubriter ablutus est hic religiosus, et (quis credidisset?) Ab homicida. Bene ergo Eccl. XXVII. ait: *Unguento et odoribus delectabitur cor: et bonis amici consiliis anima dulcorabitur.*

III. Cum alter alteri injurias remittit. Ita exponit verba Christo mystico sensu, V. Beda: *Ut sicut Dominus nobis peccata penitentibus dimittere consuevit, ita enim nos peccantibus in nos fratribus dimittere festinemus.* Ille qui nos offendit et injuriam intulit, labem peccati et reatum pœnæ contraxit: quem si ei remittamus nonne eum abluimus? Præclarissimum et sanctissimum est hoc officium centies magis quam ablutio pedum. Id cum exhibuisset Sauli David, non solum parcendo ipsi deprehenso in spelunca, sed etiam a suorum gladiis defendendo: ita immutavit ejus animam, ut ad lacrymas provocaret et filius ab eo compellaretur, I. Reg. XXIV. Jacobus major apostolus ei, a quo ad iudicium fuerat adductus, veniam petenti osculum infixit, et infingendo animum ad martyrium subeundum roboravit, Euseb. lib. II. hist. eccl. c. VIII. Quantum porro hoc obsequium placeat Deo, quantique meriti sit, colligere possumus ex mira historia quam scribit Petrus Damiani, lect. IV. epistol. XVII. ad episcopos in hæc verba: « Vir quidam, ut dicitur, potentiorum se hominem interfecit, a cujus etiam filio, more sæculi, non legibus evangelii, multas bellorum molestias pertulit, paterni scilicet ultor interitus, et strages anhelabat ho-

minum et frequentium reportabat manubias rapinarum. Inter has igitur homicida deprehensus angustias, imperiale decrevit adire fastigium, si quod forte tot calamitatibus posset reperire solatium. Quo comperto, paterni sanguinis ultor insequitur, eumque, sive ut tribunalium lege obstringat, sive ut repente gladiis opprimat, impiger comitatur. In Teutonicis vero partibus tunc imperator agebat. Cum itaque præcedens modeste quasi securus incederet, subsequens autem celerius properaret, tandem contigit, ut sibi invicem propinquantes in mutuos uterque duceretur aspectus. Sed cum is, qui homicidii reus erat, vix quatuor vel quinque comitum fulciretur auxilio; interfecti vero filius triginta ferme cingeretur obseptus armatorum, quaternionem suum cohortatur, ut fugiat. Ille se conspiciens de persequentium manibus avolare non posse, animæ patrociniū petiit, ad humilitatis umbraculum confugium fecit. Projectis igitur armis, brachiis etiam in modum crucis extensis, solo prosternitur, vel miserentium veniam vel ictus ferientium præstolatur. At ille jam victor ad reverentiam crucis manum reprimendo compescuit, ultro etiam ne ab aliquo feriretur, inhibuit: postremo pacem integram faciens, ad honorem sanctæ vivificæ crucis non modo vitam, sed et paternæ necis donavit offensam. Hac igitur insigni peracta victoria, quum scilicet non tam alterius, quam sui, et ut ita fatear, non tam hostis, quam proprii cordis victor extiterat, ad regis curiam, quia non procul erat, accessit; sed mox ut ecclesiam oraturus ingreditur, res miramurque stupenda! Salvatoris imago, quæ in cruce videbatur expressa, tribus eum vicibus inclinato capite visa est salutare. O quam gloriosum et insigne præconium, ut ab auctore misericordiæ mereretur reverenter accipi, qui propter ejus reverentiam omiserat vindicari: et ab eo reciperet salutationis honorem, pro quo salutem contrariam postposuit ultionem. Quod protinus imperator audiens, honorifica eum, et affectuosa, prout decebat, affabilitate suscepit, et copiosa munerum liberalitate ditavit. Eamdem aut certe similem historiam refert Cantiprat. lib. II. apum, c. XVIII.

IV. Cum alter alterius lapsus excusat, etsi non omnino defendere potest, saltem extenuat; quod aliud non est, quam abluere maculam, qua alter se aspersit. Ita suadet S. Bernardus, serm. IV. in Canticis: « Excusa, inquit, intentionem, si opus non potes. Puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Quod si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipse tibi, (imo et aliis) et dicito

apud temetipsum: Vehemens fuit tentatio, etc. » Sic eluere conatus est Joseph gravissimum licet scelus fratrum quod in ipsum admiserant, adscribendo suam venditionem providentiæ divinæ. « Nolite pavere, neque vobis durum videatur, quod vendidistis me in his regionibus: pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum. » Sic pudorem ac formidinem eorum mitigavit et abstersit. Ad hæc « Osculabatur singulos, ait S. Augustinus, serm. LXXXIII. de temp. et per singulos flebat et irriguis fletibus paventium colla perfudit, odium fratris, charitatis lacrymis abluabat. » Ex quo exemplo colligit hanc doctrinam S. Chrys. hom. LXIV. in Gen. « Hac imitemur, et ita solemur eos qui nos affixere, non imputantes eis, quæ in nos admiserunt, omnia magna ferentes benevolentia sicut iste admirandus Joseph. Recte admirandus, qui hoc fecit ante evangelium, quod post evangelium omnes didicimus, et servare non possumus, » ait S. Ambros. lib. de Josepho, cap. I. Simili fere modo lavit Judæorum scelus admissum in Christum S. Petrus, Act. III. (cum ipsi vehementer sibi timerent ne videlicet desperarent): *Fratres, inquit, scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri.* Addens secundum Dei prædictionem Christum ita pati debuisse. Quod egregie etiam præstitit cuidam paupereulæ, sibi licet ingratae, Alphonsus rex Aragoniæ, qui cum aliquando v. eucharistiam reverentissime comitaretur, « Tandem ductus est in vetulæ eujusdam pauperrime domum, sanguinis profluvio bene exanimatæ, cum quæ ægritudinis causam cognovisset, gemmam inestimabilem morbo illi mirifice accommodam afferri jussit, annularique illius digito aptari simul et corpus regum regis, in templum, unde profectum erat, summa veneratione reduxit. Paucis vero post diebus anus illa cum revaluisset, egit quidem pro recuperata salute regi gratias, quales potuit. Sed gemmam, quam majestatem dicerent ejus digito pene mortuæ commisisse, aiebat sibi ne visam quidem perdidisse. Stomachari qui aderant cœpere, aniculum execrationibus et maledictis incessantes. Rex vero subridens: *Abi, inquit, mea mater, et cura tu valetudinem tuam: quoniam stulti quidem isti ut vides, parum sanitatem suam curant.* » Ita refert Panormitanus, lib. I. rerum ejus gestarum.

V. Cum alter alterum in mœrore et pusillanimitate constitutum consolatur. Ita exponit Christi verba D. Cyprianus loco cit. « Quoties cum infirmis infirmamur, inquit, et cum his qui scandalum ferunt urimur: quoties cum afflictis gemimus, toties inhærens lutum peccatorum, qua possumus sol-